

quenter, venerarentur, ut veluti cantando sæpiùs exclama-  
rent: Is est, qui nobis tradidit Tetractyn, quod §. 6, 7. pluri-  
bus confirmat suavissimus Collega noster, in cit. Disp. de Te-  
tracty.

Quoniam autem duo sunt genera proprietatum Qua-  
ternarii, *formales* nimirum & *materiales*, ut supra diximus,  
igitur utrarumque ratio habenda videtur, ut Tetractyn Pytha-  
goream tantò certius assequamur: Nec enim Pythagoras Nu-  
merorum spinosas formalitates in abstracto semper contem-  
platus est, sed omnem Numerorum vim ad ipsas res accom-  
modavit, quod omnium auctorum scripta testantur. Qua-  
propter Tetractys Pythagorea duplex concipienda erit,

*Formalis* sive numerica, & quasi *materialis* sive realis.  
Formalis & *numerica* Tetractys dici posse videtur propieta-  
tum, quas quaternarius numerus habet, applicatio formalis,  
ad ipsos numeros abstractos practicè tractandos, h. e. ad nu-  
meros quoscunque quatenus numeri sunt, & inter se compu-  
tari debent. Atque sic Tetractys formaliter spectata nihil ali-  
ud erit, quàm *quaternarius computus*, aut quaterna ratio Nu-  
merorum omnium, juxta quam numeri non tantum denomi-  
nari, sed & aestimari, paucis, comparari possunt; & quidem  
multò faciliùs & expeditius & certius, quàm juxta decadicam  
rationem, qua mundus tantum non omnis immensa cum dif-  
ficultatis devoratione utitur. Aut ut magis propriè res de-  
finiatur, Tetractys formalis erit series quatuor primorum nu-  
merorum 1, 2, 3, 10. in quaternario tanquam in articulo  
primo desinens, cui sequentium numerorum, in infinitum licet  
abeuntium, omnes similiter correspondent,